ptissimis tandem malis implicatus sortem suam sero deplorare velit. Quid facturus aut responsurus sit, expecto ad amici reditum. Bene vale. Deus te ecclesiae diu servet. Heidelbergae 17. Novembr. 1611.

Serenissimo Principi, Dn. Johanni Comiti Palatino, Duci Bavariae &c. Electoralis Palatinatus Administratori.

Cum infelix ac diuturnum schisma inter Lutheranos et Orthodoxos Reformatos Evangelii cursum incredibile quantum hucusque impediverit, Romani vero Antichristi potentiam ac tyrannidem mirifice adauxerit, non immerito Serenissimus Elector Palatinus Fridericus IV. piae ac felicis recordationis omni studio ac cura egit, ut exitiale illud malum tandem aliquando sopiretur, atque ad funestas illas controversias tollendas, quo tandem Ecclesiae in Germania unitatem Christianam iterum coalescere possent, commoda media in manus sumerent. De quo quidem pio Electoris consilio cum a me Ecclesiae Reformatae in Polonia certiores fierent, nihil illae prius aut antiquius habuerunt, quam ut et ipsi hanc curam incumberent, qua ratione et suo loco negotium illud pacis ipsi procurarent: in quem finem ante triennium libellum adornarunt cum hac inscriptione: Exhortatio fratrum Polonorum ad omnes per Europam reformatas Ecclesias &c: Quem quidem librum miserunt ad Serenissimum Electorem Palatinum piae memoriae, ea fini, ut ceteris quoque Evangelicis Ecclesiis et Statibus Imperii communicaretur: atque ita tandem diu exoptata pax Ecclesiis restitui queat. Illa vero exhortatio et a Theologica Facultate nostra fuit examinata atque approbata, typis etiam privatim excusa, ideo, ut ad exteras Ecclesias tanto commodius posset transmitti: tamen hucusque ob varia impedimenta in effectum mitti non fuit deductum. Quoniam autem negotium hoc tanti

est momenti, ut negligi nullo modo debeat, officii mei ra-
tio postulat, ut Celsitudini vestræ iterum atque iterum velli-
cem, efflagitemq, ut opus hoc semel coeptum serio urge-
tur: cumprimis vero, ut ipse cognoscam, quid Seniori-
Authori Exhortationis, quam de volenti et appro-
batione trium Synodorum Polonicarum conscripsit,
respondeam: ne boni illi viri arbitrentur forte, la-
bores suos, sollicitudinemq, apud nos exiguum habere
pondus, parumq nobis curæ esse concordiæ contritionis
Josephi. Judico igitur Authori mittendum esse exem-
plum Exhortationis cum Censura Facultatis: qua
accepta ipse scripto suo novam limam adhibeat,
ac tum, nisi aliter visum sit, dedicetur Serenissi-
mo Electori Brandeburgico: cujus celsitudo dubio
procul Christianum hoc negotium pio suo zelo non
minus, quam nos, promovere dignabitur. Vale Sere-
nissime Princeps. Heidelbergæ Anno 1611. die 18.
April.

Celsit: vestræ
Addictissimus
David Pareus D.

120. Senioribus utriusq, coetus Evangelici
in urbe Cracoviensi deputatis
Nomine Illustrissimi Principis Electo-
ralis Palatinatus Administratoris.

Posteaquam inde ab ingressu Electoralis nostræ
Administrationis modis omnibus id curavi-
mus, ut quæ tum ad Reipublicæ prosperita-
tem fovendam augendamq, tum vero ad Eccle-
siæ tranquillitatem juvandam conservandamq,
pertinerent, omni officio atq studio pro vi-
rili nostra promoveremus: Libenter cognovi-
mus, Reverendi viri, vos ante hoc tempus
libro Exhortatorio ad omnes Evangelicarum
Ecclesiarum Proceres directo, ac singulariter